De Curatore dando N:N.

Tutela et cura in multis conveniunt et fere omnia quae de tutoribus scribuntur in curatoribus locum habent. Dantur autem curatores ab ijsdem magistratibus a quibus et tutores § 1 instit de curat.

Verum quia multis et diversis dari solent curatores ijsdemque non uno eodemque respectu sed diverso, quibusdam enim dantur ratione minoris aetatis et sic ijs qui licet pubertatis annos excesserint adhuc tamen eius aetatis sunt ut sua negotia tueri non possint, quibusdam ratione inordinati consilij vel morbi alicuius licet sint maiores 25 annis. Videndum est breviter de ijs tantum qui morbo aliquo animi laborant et sunt furiosi mente capti prodigi etc. quomodo in istis ipsis providendum sit de curatore.

Et imprimis quidem Justinianus inter furiosum et mente captum longam esse differentiam tradit cum furiosus rabie quadam animi agatur, mente vero captus magis inquietus est nullaque extrinsecus signa ostendit. Unde diversum modum statuit providendi de curatore utrique. Furioso enim et prodigo legitimum assignat mente capto dativum idque statim in § 2 Instit de curat: dum dicit (Furiosi quoque et prodigi licet maiores 25 annis sint tamen in curatione agnatorum sunt ex lege 12 tabularum ibidem ad finem § d. statuit quoque de mente capto in haec verba (Sed et mente captis et surdis et mutis et qui perpetuo morbo laborant quia rebus suis superesse non possunt curatores dandi sunt. Ex quibus verbis Justiniani liquido constat furiosum debere esse in agnatorum curatione mente captis autem dandos esse curatores a magistratibus. Idem etiam Glos. in d. § in verbo furiosi observare iubet dum dicit hos duos furiosum scilicet et prodigum curatorem accipere a lege, alios omnes habere dativos.

Et licet aliqui contendere vellent contra autoritatem Justiniani ac sententiam DD. Accursij et Angeli, ea quae de furioso dicuntur de mentecapto quoque statui debere, tamen dum disputatur de Curatore dando Duci Prussiae qui merito dicitur mentecaptus concludere vix possunt ex eo etiam capite, ipsius curam ad agnatos pertinere debere ex infra dicendis.

Furiosum

Furiosum in curatione adgnatorum lex 12 tabularum esse iubet in haec verb[a]
Si quis furiosus existat agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas
esto.
Ratio autem huius legis a Iurecons. cur nimirum horum curam ad agnatos devol-
vit datur, quia cum hi successionis habeant spem naturali aequitati consentaneum
est ut et curatorium munus subeant. Unde et legitimi curatores dicuntur.
Jam vero cum agnatis moderni Ducis Prussiae de cuius cura agitur morta
adhuc sit spes successionis in ducatus bona, cum sit sub iudice non vide-
tur cur ipsi ad curam obtinendam in auxilium legem 12 tabularum tra-
here debeant. Et esto sane illos habere certam spem successionis iudi-
catum, eam tamen dico non provenire ex iure naturae et sanguinis in quo
ratio illa legis 12 tabularum fundatur sed ex iure investiturae cuiusdam
quam se habere praetendunt. Itaque neque ex lege 12 tabul. cura ad illos
pertinebit tanquam ad legitimos curatores posita etiam spe successionis.
Veniendum igitur erit ad dativum cuius dandi potestas erit penes principem
tanquam dicti ducatus directum dominum.
Accedit et illud quod urgere possumus eos a cura abstinere debere, ne ipsi prius
feudum aperiri possidere videantur quam velle petere eius possessionem. Etenim
cum investitura quam se habere praetendunt effectum suum sortiri non possit, nisi cum
fuerit feudum apertum quod quidem ab alio modo possidetur, quodammo-
do ab iis iam possideri videretur, si ipsis cura a principe esset decreta,
maxime cum curator furiosi sive mentecapti potissimum bonis detur, quorum
administrationem gerens, ea quodammodo possidere dicitur. Haberent igitur
possessionem feudi in feudo non aperto, ex munere curae sibi adiudicatae quod
iuri repugnat. Ne itaque in administrationem bonorum feudalium se inge-
rant investitura ipsorum suspensa existente, providendum erit per principem
de curatore.
Porro illud omnem difficultatem de eodem providendo tollere videtur, quod ipsum
testamento datum habeamus quem quidem filio furioso a patre testamento

dari posse exemplo testamentarij tutoris uiris est explorati L fi. § sed
cum antiquitas et seq. L penult. C de curat fur. ut ergo testamentarij
tutor semper præfertur legitimo ita et curator,

~~Quando~~

Consultatio Principis ergo in Rep[illegible]
[illegible] an ad Dni [illegible] [illegible]
ad cognatos [illegible]! Dic capitulo
[illegible]